

ILLVSTRISSIMO VIRO DOMINO D.

CLAVDIO BOVTHILLIER

REGI A SANCTIORIBVS CONSILIIS,

SACRARVM ET PVBLICARVM LARGITIONVM COMITI,

ORDINIS VTRIVSQVE QVÆSTORI MAXIMO.



ROLANDVS MERLET ὑγιαίνειν.

IATRICA hæc tabula ſoporoſos affectus exponens in vulgus bonis auibus, vt mihi quidem perſuadeo, prodit, claro munita ſtemmate & illuſtri nomine decorata eius Viri, cuius incredibilis vigilantia vel ignauos quoſque alto-ue ſepultos ſopore excitaret. Hæc Regi explorata fuerat dum illi (VIR ILLVSTRISSIME) à Secretis adeſſes: Senatus illam ipſam, dum te ſuo ſinu fouebat, virtutum choro ſtipatam, ſed maximè iuſtitiâ micantem in te ſuſpiciebat. Virtutes haſce tuas, comitate & vrbanitate veluti conditas, pridem perſpectas habuerat Dux Eminentiſsimus huic Gallicanæ Monarchiæ ſedulò inuigilans, cuius fines quàm latiſsimè ſuis conſiliis extendit, Regnante LVDOVICO IVSTO, teque, VIR INTEGERRIME, ſacrum ærarium, quod belli neruos continet, fide tam ſingulari adminiſtrante. Te tot tantiſque ornamentis inſignem Galliæ cœlitùs datum prædicant omnes, qui te publicorum negotiorum gratiâ adeunt: hos benigno vultu haud tetrico, blandis verbis minimè minacibus admittis, & ita dimittis; vt licet quod efflagitabant non impetrauerint hiſce difficillimis temporibus, tibi tamen pro ea ſumma quam experti ſunt humanitate bene precentur, atque annos exoptent longæuos: cum his piis Gallorum votis Artis noſtræ Apollinaris præſidia conſpirant: hûc parentis mei ſtudia collimant, qui me huic Arti, pene diuinæ, eo conſilio lubentiſsimè conſecrauit, quò tandem aliquando illâ inſtructus poſſem ſubleuare illius in tuâ procurandâ ſanitate conatus ne dicam labores, quibus tibi tuæque illuſtri familiæ beneficia à te accepta ſatagit aliquatenus rependere.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XII. DECEMBRIS,

M. VICTORE PALLV Doctore Medico moderatore.

An soporosis affectibus Emetica? 892

SOMNVS mortis satelles facultati animali vincula iniicit, cuius sensum communem imprimis strictè ligat, memoriam captat, phantasiam delirantem tunc potiùs quàm liberam impedit, rationi lucem eripit, totamque animam corporis ceu carceris tenebris claudit: vt tum maximè σῶμα ἀπὸ τοῦ σήματος parum absit. Hinc rectè sentit quisquis vitam hominis vigiliam esse definit, cuius tantùm gratiâ somni necessitatem natura indixit. In illum laborũ portum sensim ducit blanda anathymiasis cerebrũ perfundens, ac subinde meatus animæ ita occupans vt intercepta lateat, concessâ interim quiete corpori, donec discussâ nubeculâ instauratisque spiritibus, quos edax vigilia exhausit, sensus reuiuiscant. Vtriusque velut diei & noctis eadem videtur naturalis consecutio. An infantes in vtero vicissim vigilant, dormiunt? Certè vno carere altero integro & incolumi non magis possunt quàm in lucem editi. Non vbique quemadmodum in Taprobane insula somnus diurnus exulat: neque perpetuò æquali periodo naturalis circumscribitur: ad summum tamen somno sufficit si tertiam vitæ partem occupet. Quædam animalia φωλεύοντα trimestris somnus saginat, nullo miraculo, siquidem diuturniori vigiliæ succedit.

SOMNI præter naturam seu soporis & καταφορᾶς causa existit quæcunque excitatorum spirituum animalium in organa sensus liberum influxum prohibet, cuiusmodi est quæ illos inficit, & degeneres, temulentos, torpidos atque attonitos sistit, non modò vulgaris intemperies, frigida humida, sed & alia singularis qualitas inter occultas referenda (quarum asylum nostra Philosophia non erubescit) scilicet vis quædam ναρκωτικὴ vaporis vehiculo intimos animæ recessus peruadens, ibique spirituum ὁρμὴν & ἐνέργειαν obtundens ac hebetans, ita tamen vt interdum mira phantasiæ ludibria adeóque τυφωμανίαν & insomnia ecstatica inducat. Falluntur & fallunt qui opii ac similium ναρκωτικὴν δύναμιν, sacram extremi doloris anchoram, frigori imputant. Illis quid affine & analogum in nobis sæpè gignitur. Hinc lethargus alter nascitur: hinc κῶμα vtrumque febrium malignarũ symptoma: hinc aliquando carus, cuius tantus est torpor vt illius ἔκπληξις parum ab apoplexia differat; certè eadẽ vtriusque ἀφωνία, eadem τῆς φανταστικῆς παράλυσις & γνώμης νάρκωσις; spirandi difficultas huius discrimen auget, ac subinde stertor atque spuma circa os collecta exitium ineluctabile portendit. Hos cognatos affectus aliàs nota intemperies frigida humida parit, neque sola tamen formandæ apoplexiæ sufficit, sed eius consectaria materia basim cerebri principium neruorum & spinalis medullæ premit vel obstruit; nonnunquam melancholica idem præstat: interdùm etiam ictus sanguinis incautos syderat.

LETHARGI sorbilem somnum fœliciter phrenitis excipit, ex quo qui seruantur, empyema illæso pulmone ac thorace patiuntur. Epilepsia quartâ lunâ natis metuenda cum veterno reciprocat: si quidem κεφαλαλγία καρώδης conuulsionem significat, ac rursus in carum epilepticus paroxysmus frequenter desinit: eadem nimirum materia modò neruosum genus tentante, modò cerebri substantiam & spiritus labefactante. Catoche affectus rarus & admirandus neque etiam vulgarem causam agnoscit, sed fulminis æmulam quo vinum in cadis subitò congelatur: sua sunt microcosmo meteora vt megalocosmo. In catoche spiritus cerebri veluti frigore figuntur & nerui tenduntur, qui in veternosis torpescunt ac exoluuntur; iisdem tamen fere alexiteriis oppugnantur, inter quæ castoreum primas tenet. Cæterùm ibi humor melancholicus, in soporiferis præcipuè pituitosus peccare videntur: quanquam non semel in Epidemiis, *Comatosi maximè erant phrenetici, & qui laborabant causo, & qui alio quopiam morbo magno*: & alibi *κώφωσις seu νωθρότης icterum comitatur.* Quæcumque tandem Cacochymia his omnibus καρωδεστάτοις πάθεσι occasionem præbeat, eius euacuationi omnino incumbendum, atque etiam reuulsioni si à partibus inferioribus propagari videatur. Naturæ bene agentis sectator Medicus conuenientes vias ab eadisca: oportet, κωματώδεας, κοπιώδεας, κακοφαμένους, κοιλίης καταρραγείσης, ἐρυθρὰ διελθόντα περὶ κρίσιν ὠφελέει.

ΑΠΟΠΛΗΚΤΟΙΣΙΝ αἱμορροΐδες ἐπιγενόμεναι χρήσιμον: sic arte & consilio facta detractio sanguinis ἀφωνίαν exoluit, maximè vbi venarum ἀπόληψις vitalem spiritum aditu ad cerebrum, aut sanguinis eruptio animalem exitu prohibet: præsidium sanè τῶν τοιῶνδε ἡγεμονικόν, in cæteris tum cataphoricis, tum paraphoricis affectibus vix omittendum. αἱμοφόβους veterino temperamento præditos oportet, quorum hebetudo naturalis nihil generosum admittit: Asinos dimissio sanguinis eneruat, qua fortasse causa inter ignominias militares olim habita fuit. Alterantia quoque in his affectibus locum habent, ac maximè acida quæ narcoticam malignitatem reprimere experientia docuit: ea itaque in vigiliis nimiis vitanda, præcipuè senum quos frigidorum vsu magis ac magis insomnia macerat, donec tandem impotentia vigilandi fatiscentes in coma vltimum deuoluantur. Præcauendo veterno supra omnia conducit vita frugi, quæ crapulam ceu capitalem ingenij, & Musarum matris memoriæ pestem arceat, corpus frequenter exerceat, nec minùs animum: ψυχῆς περίπατος, φροντὶς ἀνθρώποις.

VOMITVM in soporosis affectibus natura nunquam molitur bonis ægri rebus, præsertim vniuersalem quo vitiosus humor toto corpore, vel è visceribus atque venis sursum per os ventriculi concussi subuersione eiicitur, cuiusmodi vel oculis laborantibus damnatur. Vomitoria alia vim ventriculi retentricem dumtaxat relaxant, vt tepida & pinguia omnia; alia expultricem stimulant, alia humores prætereain illum quoquouersum attrahunt, eaque sola & vera censentur emetica cathartica hîc maximè fugienda. Præter alia incommoda hoc summum habent, quòd ἀνάρροπον humorum & vaporum motum ad superiora magis promoueant, adeóque caput aggrauent, cuius leuandi gratiâ tota curatio suscipitur: si per consensum partium subiectarum laboret, longè fœliciùs aduena materia reuocatur atque educitur per inferiora: sin per idiopathiam afficitur, multò minùs emeticum indicat humor indigena aut τοῦ ψυχροῦ καὶ κολλώδεος metropoli ciuitate donatus, per palatum & nares potiùs eliciendus, apophlegmatismorum ope, errhinorum & ptarmicorum, quæ tamen non sunt initio nec temerè vsurpanda. Quod si ventriculus phlegmate epidemio & νεωτάτῳ scateat, atque velut totius mali animam contineat; tum licet vomitionem iuuare, sed leui auxilio quod particularem solùm prouocet. Cætera Emetica hîc tantùm obesse iudicanda, quantùm vomitus in longa diarrhoea prodesse potest.

Non ergo soporosis affectibus Emetica.

Proponebat Lutetiæ ROLANDVS MERLET Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XLI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Leo le Tourneurs.	*M. Petrus le Mercier.*	*M. Franciscus des François.*
M. Nicolaus Cappon.	*M. Claudius Guerin.*	*M. Ioannes du Cledat.*
M. Nicolaus Richard.	*M. Petrus Yuelin.*	*M. Claudius Quiquebeuf.*

